



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Indicantur canones ad quos alludit Hilarus. De collectione Canonum Dionysij Exigui. Liber Canonum vacatur à Gregorio Turonensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

loci Clericis faciendis contra precepta apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quiequam reprobatur, communi omnium auctoritate rescetur. Infrà: *Nec cuiquam licebit à regulis evagari quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune prefixerit; cum imminente quotannis examine, ita singuli actus suos dirigent, ut his discussio judicij optari magis debeat quam timeri. In dirimendis sanè gravioribus causis, & quæ illic non potuerint terminari, apostolica sedis sententia consultatur.*

II. Tria quædam observanda sunt in hoc decreto. Primum quidem, Summum illum Pontificem disertis verbis confirmare celebrationem Conciliorum ex diversis provinciis congregatorum; contra quam visum erat prædecessoribus ejus Innocentio & Leoni. Hi quippe edixerant ut unaquæque provincia suis specialibus Conciliis contenta esset, in quibus causæ terminarentur, neque licere ad alias provincias convolare. Quod eo consilio, ut ego quidem existimo, actum est ut ea arte facilius flecterent provinciales ad consulendam statim Romanam sedem. *Suis unaquæque provincia sit contenta Conciliis, inquit Leo. Nec alicui liceat, inquit Innocentius, ad alias convolare provincias.*

III. Secundum caput in eo constat, quod Concilium illud generale jubetur celebrari semel in anno, *per annos singulos*; non autem bis, velut synodi provinciales, quod ad formam Concilij universalis Africæ institutum est. Ad ea decreta alludit Synodus Agathensis, cum præcipit ut Concilium Episcoporum regni Gotthici, ex quibus illa constabat, renovetur annis singulis, secundum constituta patrum: *Synodum etiam juxta constituta Patrum singulis annis placuit congregari.* Falluntur autem qui in eo canone agi putant de Conciliis provincialibus, nisi ostendant in præcedentibus canonibus celebrationem eorum Conciliorum semel tantum in anno jussam, quemadmodum LXXI. canon Agathensis supponit. Id quod probari non potest nisi quoad Concilia generalia, ut dixi. Tempus autem illud ad triennium coercet canon vigesimus Concilij Matisconensis secundi, perperam à nonnullis intellectus de synodis provincialibus: *Ad synodum post triennium tempus omnes conveniant*, id est, ex omnibus provinciis quæ tum coiverant.

IV. Tertium caput, quod est magni momenti, consistit in modificatione quam facit Hilarus, nimirum ut regulæ quæ in his Conciliis promulgabuntur, sint *juxta Canonum definitiones*. Eadem est sententia Concilij Venerici in epistola synodica: *Vt quæ in*

*prioribus patrum statutis videmus omissa, & procedente tempore licentia ex nimia labentis seculi libertate præsumpta, statutis saluberrimis sanciremus.* Hinc factum ut præfationes omnium Conciliorum hanc cautionem contineant, velle se canones antiquos renovare, & novos condere ad evellenda nova mala. Et in epistola tractoria Aviti Episcopi Vienneſis, qua collegas suos evocat ad Concilium Epaonenſe, legitur id Concilium ea de causa convocari ut animi omnium revocentur ad memoriam antiquorum canonum, & ut novi condantur, si res ita ferat: *Iustum est, quantum reor, ut constitutis prioribus sub communis presentie opportunitate tractatis, nostris simul nobisque, prout ordo colloquutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel, si necesse est, etiam nostra jungamus.* Eadem fuit sententia Concilij Arvernensis habiti anno DXXXV. cujus ea sunt verba: *Id nobis rationabile visum est, ut quamvis ecclesiastica regula penè omnia comprehendant, tamen quædam vel adderentur nova, vel repeterentur antiqua.*

V. Canones antiqui, ad quos alludit Hilarus, nulli alij sunt præter eos qui continentur in Collectione quæ canone primo Concilij Chalcedonensis recepta est, id est, canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, & Constantinopolitani, ne interim Chalcedonenses omittam, quæ Collectio Latine verſa est tempore Concilij Chalcedonensis. Sed tempore translatio ista confusa erat & indigesta, Dionysius Exiguus, natione Scythæ, & Abbas apud Romam, novam versionem aggressus est ævo Justiniani Imperatoris; quæ statim obviis ulnis excepta est ab Ecclesia Romana, ut testatur Cassiodorus: *Ex Græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentie luce composuit, quod hodie usque celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Ceterum sufficere visa non est Dionysio Collectio canonum Græcorum. Itaque ut eam integram esse efficeret, canones Sardicenses addidit, & Collectionem canonum Africanorum, præter quinquaginta canones apostolicos, qui prima statim fronte occurrunt apud Dionysium. Constat integra hæc Collectio ex CCC LXXI. canonibus: quos statim subsequuntur decreta Pontificum Romanorum Siricij, Innocentij, Zozimi, Celestini, Leonis, Gelasij, & Hilari. Corpus illud canonum & epistolarum decretalium statim in universo Occidente obtinuit ad dirimendas lites ecclesiasticas; præcipue verò in Gallia, ut patet ex Gregorio Turonenſi, qui illud vocat librum Canonum.

Canon 71.  
Concil. Agath.